

SCRIPTA

Numéro Scripta : 603

Auteur(s) : Lucius III [pape]

Bénéficiaire(s) : Le Tréport, Saint-Michel (abbaye, abbé)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1185, 19 juin

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Confirmation par le pape Luce III de la fondation de l'abbaye

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Laffleur de Kermaingant Pierre, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Michel du Tréport (ordre de Saint-Benoît)*, Paris, Didot, 1880, n° XLVI, p. 75-84.

Dissertation critique

Vidimus de 1404.

Texte établi d'après a

A tous ceulx qui ces presentes lettres verront ou orront Guillaume, seigneur de Thignonville, chevalier, conseiller et chambellan du Roy, nostre sire, et garde de la prevosté de Paris, salut. Savoir faisons que nous, l'an de grace mille quatre cens et quatre, le jeudi dix jours d'avril après Quasimodo, veismes unes lettres ou bulles du pape Luce IIIe seellées en soye et en plomb, contenant la forme qui s'ensuit :

Lucius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et fratribus monasterii Sancti Michaelis de Ulterisportu, tam presentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum. Monet nos Apostolice Sedis, cui liscet immeriti presidemus, auctoritas pro statu omnium ecclesiarum provida circumspectione satagere et eas apostolice tuitionis presidio communire. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et prefatum monasterium Sancti Michaelis de Ulterisportu, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus : in primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti regulam in eodem monasterio noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur ; preterea quascunque possessiones, quecunque bona idem monasterium in presentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, prestante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant ; in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis : ex donatione bone memorie Roberti, comitis Augensis, locum ipsum in quo prefata abbatia sita est cum omnibus pertinentiis suis ; totam decimam in Ulterisportu, viginti domos in eadem villa, duos homines vavassores liberos, censum lignorum ejusdem ville, palustrem terram et prata juxta, et omnem terram arabilem quam predictus Robertus in eadem villa habebat ; omne jus et consuetudinem illorum hominum qui sunt sancti Michaelis, excepto quod ad theloneum pertinet ; decimam denariorum de Ulterisportu et Augo oppido, sturios quoque pisces qui ab hominibus ejusdem monasterii pro tempore capiuntur ; crassorum etiam piscium, qui similiter capti fuerint, alam unam et

caude medietatem ; mansiones quatuor apud Augum cum uno viridario ; decimam pasnagii silvarum Augi et omnium exartuum earumdem silvarum, ubicunque fiant ; silvam quoque liberam in opus monasterii et ministerium monachorum ; terram Maisnilivallis cum portu et quicquid in eodem loco habebat ; Quercetum quoque Criolii, Maisnilem Soreth liberum et quietum ab omni consuetudine et quicquid inde exit ; Maisnilem Adelardi et villam que Ramichum Maisnil dicitur et aliam que Crimolt Maisnil vocatur et medietatem de Boistelmainsnil ; duos ortos apud Montem Fulcardi, mansiones hospitem quinque et unum molendinum et quicquid dedit vobis in Fontibus, terris videlicet, pratis, alnetis, marescis, molendinis, domibus et aliis rebus ; decimam molendinorum Blangioli et Septem Molarum ; apud Septem Molas ecclesiam ipsius ville cum decimis et pertinentiis suis, terram unius carruce, totam decimam de dominio suo et fiscum Rogerii ejusdem ville qui monachus factus est ; et totam terram Gozoldimare ; ecclesiam Anenendimare cum pertinentiis suis ; in Cliolio molendinum unum cum tota moltura et de F[il]ioscis et de Stanelonde et de Williohovil, et duas mansiones liberas ; molendinum unum in Verleio et quicquid habetis in eadem villa ; ecclesias de Boevilla et de Penleyo et de Brunvilla cum decimis et pertinentiis suis ; ecclesiam de Gislemecurt, ecclesiam Sancti Petri de Vallo cum terris, decimis et pertinentiis suis ; ecclesiam de Burgo Turolidi cum terris, decimis et pertinentiis suis ; unam carrucam terre in Basilicis, ecclesiam ibidem cum decimis et pertinentiis suis ; Sanctum Martinum de Silva cum terris, hospitibus et aliis pertinentiis suis ; et quicquid predictus Robertus vobis dedit in Anglia et alibi in decimis, pratis, silvis, aquis, paludibus, hospitibus, molendinis, piscationibus et terris cultis et incultis. Ex donatione Hugonis vicecomitis triginta acras terre apud Ulterisportum ; ex donatione Willelmi Calcheis totam terram quam habuit in Augo oppido et viridarium unum, mansiones duas in Ulterisportu, et totam terram Montis Goisberti, et duo jugera prati apud Flamengevillam et apud Criolium alia duo, et quicquid habebat in Septem Molis ; ex donatione Boistel, Ilduini de Blangi, Tustini de Crimolt Maisnil et Henrici Jailardi octo garbas apud Blangiolum ; ex donatione Henredi Mosterlensis viginti jugera terre in Fontibus et duas garbas decime ; ex donatione Ancerii de Riu decimam de Riu ; ex donatione Wiberti de Basinval et Hilduni Forestarii quatuor garbas apud Basinval ; ex donatione Walterii ad barbam duas garbas apud Manceium ; ex donatione Gozelin de Bernomainsnil et Osmodis, uxoris ejus, terram de Seifredvilla ; ex donatione Rogeri, filii Turolli, fiscum duorum hominum ; ex donatione Radulfi decimam in Grancurt ; quicquid ecclesie vestre dedit Willaume Taleboth in Gislemecurt ; duas garbas decime apud Grancurt ex donatione Alveredi de Grancurt ; decimam totius terre Radulphi, filii Alveredi, quam habuit apud Penliu ; ex donatione Goffridi, filii Rainoldi de Sancto Martino, decimam de terris hominum suorum quam habebat in dominio suo et apud Sanctum Martinum et apud Thoith et apud Merlincampum ; duas garbas decime ex donatione Claremboldi de Thochevilla ; ex donatione Rogeri de Salceio totam decimam ipsius ville, ecclesiam de Salceio cum decimis et pertinentiis suis ; ex donatione Ricardi, filii Roberti de Fraelvilla, totam decimam ville de Gregeni ; decimam de Bosco Ricardi ex donatione Ricardi de Lonreio ; duas garbas decime ex donatione Milonis de Assegni in eadem villa ; decimam de Curevervilla ex donatione Roberti de Petrepto et Godefredi, fratris ejus ; villam que Maisnilus Oisterlandi dicitur ex donatione Oisterlandi, militis et ecclesie vestre postmodum monachi ; ecclesiam Sancti Walarici de Monte Aquoso cum terris, decimis et pertinentiis suis ; ex donatione Willelmi, ducis Normanorum, terram de Falcis ; ex donatione Osberni Rufi totam decimam medietatis aceriarum ; ex donatione Avise et Audulfi, filii ejus, decimam quam habebant apud Accun Maisnil ; ex donatione Goiffridi, filii Fulconis, decimam quam habebat apud Boaffles, ecclesiam Sancti Severini super Blangiolum cum pertinentiis suis ; ex donatione Henrici Bise medietatem ville que vocatur Frassineta et medietatem bosci ejusdem, ecclesiam Sancti Nicolai ipsius ville cum pertinentiis suis, quicquid dedit vobis Willelmus Visa et mater ejus in Frassineta, ecclesiam de Haismedis cum omnibus pertinentiis suis, decimis et terris trium hospitem et decimam eiam molendinorum Criolii et Montis Furcardi ad luminare ecclesie vestre, et terram Luci Pagani ex donatione ipsius Willelmi, centum insuper quadraginta jugera terre in Monte Aquoso, in escambio Gozeldimare et Anedimare ; ex donatione Alveredi de Lupicauda et Roberti, filii ejus, tres acras arabilis terre ; ex donatione Egidii de Merulevilla et filiorum ejus decimam quam habebat in Verleio ; ex donatione Rainerii de Doith IIas garbas decime apud Doith ; ex donatione Osberni de Doith et uxoris et filiorum ejus duas garbas decime apud Doith ; ex donatione Roberti de Monceio duas garbas decime apud Monceium ; ex donatione Rogerii Bailloil decimam quam habebat apud Fulcardimontem et duos hospites in Ulterisportu ; ex donatione Mabilie de Septem Molis, filie Gunduini, IIIr jugera terre juxta assultum Durandelli ; ex donatione Petri de Grancurt, prepositi, et Ranuldi, filii sui, XIIIm jugera arabilis terre in Hulcensi ; ex donatione Gusberti, Alveredi, Gilesberti Malrespectu, et Galteri Camerarii et aliorum vavassorum ejusdem ville decimas omnes quas habebant ; ecclesiam Sancti Severini de Vimou cum luco, terris cultis et incultis et ceteris pertinentiis suis ; quicquid Henricus, comes Augensis, filius comitis Willelmi, ecclesie vestre tam in piscacionibus, libertatibus quam immunitatibus, seu aliis rebus, pia devotione concessit, sicut carta ejus testatur, ecclesiam Sancti Jacobi, que est in Ulterisportu, cum terris,

decimis et aliis pertinentiis suis, ecclesiam de Rubeo Campo cum pertinentiis suis ; ex donatione predicti Henrici omnes redditus fori quos habebat in Augo oppido, aquam etiam de Ou nocte festivitatis beate Marie Magdalene et locum ad molendinum construendum super aquam de castello Augi ; ex donatione Hugonis de Arenis et fratrum quicquid habuit in Trunceio ; ex donatione Heremburgis, matris Geroldi, unam carrucam terre apud Limou cum decima et hospitibus que ibi habebat ; ex donatione Geroldi de Horneio unam carrucam terre et quicquid decime habebat in manu sua ; ex donatione Hugonis de Briccummaisnil decimam quam habebat apud Limou ; ex donatione Radulphi de Arenis, filii Gibuini, quartam partem de Campis et ecclesiam hujus ville cum decimis et aliis pertinentiis suis ; ex donatione Hugonis de Oirio summam piscium que vulgo plaici dicuntur ; ex donatione Willelmi Britti quicquid juris habuit in terra de Falcis ; ex donatione Radulphi de Merlevilla totam decimam terre sue ; ex donatione Abrahe de Grancurt decimam de Grancurt ; ex donatione Hugonis de Ansevilla tres acras prati ; ex donatione Drogonis de Maisnillo consueto redditus et pastus quos in eadem ecclesia in festivitate sancti Michaelis, Nativitate Domini, Pascha et Pentecoste, cum suis hominibus recipere consuevit ; ex donatione Bernardi de Busseio et Gisberti quicquid decime in Busseio habuerant ; ex donatione Walteri de Davidisvilla duas plaicias et pastum quem in festo sancti Michaelis habere solebat ; ex donatione Ingerranni de Flocis mansionem unam terre apud Ulterisportum et pastum quem in ecclesia vestra habere solebat ; ex donatione Guidonis de Maisnillo et Bernardi de Campineio totam decimam de terris suis ; ex donatione Abrahe de Petra decimam de Blanca ; ex donatione Gisleberti de Sancto Hilario totam decimam quam habebat ; ex donatione Anselli de Fraelvilla annuum modium frumenti et pratum quod habebat subtus ecclesiam de Flamengevilla, ecclesiam de Gregni cum pertinentiis suis ; ex donatione eciam predicti Anselli propriam mansuram, virgultum, duos hospites cum curtillis, domum sine curtullo, unam carrucam terre, et duo modia frumenti annua ad molendinum de Fraelvilla, et liberam molturam monachis de Gregni, et decimam de feudo Capuan ad Junceriam ; in Anglia LXV solidos sterlingiorum ad Plaiden, decimam de denariis Jullisse, et decimam de denariis de Standede, et decimam de bacconibus et caseis que ipsi Anselmo de Anglia ferebantur ; ex donatione Henrici, Augensis comitis, filii Johannis, totam avenam et frumentum de Verli que pertinent ad forestagium, et avenam de Mont Rosti, et decimam de Felcheroscamp, decem libras in linagio Augi per annum, et molturam de Mesnil Aalar liberam et quietam decimamque pasnagii de foresta Augi et de omnibus exartibus ejusdem foreste, ubicumque fiant ; nemus quoque liberum ad opus monasterii et ministerii monachorum ; totam etiam decimam de vicecomitatibus Augi, Ulterisportus, Criolii, Septem Molarum et Grungurie, et omnem palustrem terram et prata de juxta, et totam molturam et tailliam de Monte Hugonis, et alia omnia que tam idem Henricus quam alii donatores, tam in libertatibus et immunitatibus vestris et hominum vestrorum quam in piscationibus, feriis et rebus aliis, vestre ecclesie pia devocione donaverunt, sicut in eorum cartis continetur. Sane novalium vestrorum que propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos e seculo fugientes liberos et absolutos ad conversionem recipere et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum, post factam in eodem loco professionem, fas sit, absque abbatis sui licentia, nisi artioris religionis obtentu, de eodem loco discedere ; discedentem vero sine communium litterarum cautione nullus audeat retinere. In parochialibus autem ecclesiis quas habetis, liceat vobis sacerdotes eligere et diocesano episcopo presentare, quibus, si idonei fuerint, episcopus curam animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis autem de temporalibus, debeant respondere. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare. Ad hec apostolica auctoritate statuimus ut nullus archiepiscopus, episcopus, decanus, archidiaconus, vel eorum officialis, in vos vel ecclesias vestras, sine manifesta et rationabili causa, suspensionis, excommunicationis seu interdicti sententiam audeat promulgare. Libertates preterea et immunitates ab archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiasticis secularibus[ve] personis monasterio vestro rationabiliter indultas et hactenus observatas ratas habemus easque futuris temporibus permanere sancimus. Sepulturam quoque monasterii vestri liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astucia seu violentia preponatur, nisi quem fratres, communi consensu, vel fratrum pars consilii sanior, secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam, providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare ; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omni modo profutura, salva Sedis Apostolice auctoritate et diocesanorum episcoporum canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona, hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris Nostri Jhesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini Nostri Jhesu

Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum iudicem premia eterne pacis invenient. Amen. Amen. Amen.

Les queles lettres ou bulles dessuz encorporées estoient signées de plusieurs signes, dont l'écriture s'ensuit :
ADJUVA NOS, DEUS, SALUTARIS NOSTER. SANCTUS PETRUS. SANCTUS PAULUS. LUCIUS PAPA
III. — Ego Lucius, catholice ecclesie episcopus, subscripsi. — BENE VALETE.

- + Ego Johannes, presbyter cardinalis tituli Sancti Marci, subscripsi.
- + Ego Laborans, presbyter cardinalis Sancte Marie trans Tiberim tituli Calixti, subscripsi.
- + Ego Pandulfus, presbyter cardinalis tituli XII apostolorum, subscripsi.
- + Ego Albinus, tituli Sancte Crucis in Jherusalem presbyter cardinalis, subscripsi.
- + Ego Melior, presbyter cardinalis Sanctorum Johannis et Pauli tituli Pamachii, subscripsi.
- + Ego Adhelardus, tituli Sancti Marcelli presbyter cardinalis, subscripsi.
- + Ego Theodinus, Portuensis et Sancte Rufine sedis episcopus, subscripsi.
- + Ego Henricus, Albanensis episcopus, subscripsi.
- + Ego Theobaldus, Hostiensis et Velletrensis episcopus, subscripsi.
- + Ego Ardicio, diaconus cardinalis Sancti Theodori, subscripsi.
- + Ego Gratianus, Sanctorum Cosme et Damiani diaconus cardinalis, subscripsi.
- + Ego Soffredus, Sancte Marie in Via lata diaconus cardinalis, subscripsi.
- + Ego Rolandus, Sancte Marie in Porticu diaconus cardinalis, subscripsi.
- + Ego Radulfus, Sancti Georgii ad Velum aureum diaconus cardinalis, subscripsi.

Data Verone, per manum Alberti, sancte Romane ecclesie presbyteri cardinalis et cancellarii, XIII kalendas julii, indictione tercia, Incarnationis Dominice anno M°. C°. LXXX°. V°, pontificatus vero domni Lucii, pape tertii, anno IIII°.

Et nous a cest transcript avons mis le seel de la dicte prevosté de Paris, l'an et jeudi dessuz premiers dis.